

Zb
7787





A. & S.
Panegyricus Parentalis

Summo & jam beato

THEOLOGO

JOHANNI HULSEMANNO,

S. S. Theol. Doctori & Professori Publico in hac &
V Vittebergensi Academiâ per XXXI. annos longè ce-
leberrimo, Canonico Misnensi, & Naumbürgensi: Præpo-
sito Cizensi: Consistorii Electoralis & Ducalis Saxonix Assessori,
Academiæ Decem Viro, Nationis Saxonix ut & Facultatis Theo-
logix Seniori, ad D. Nicolai Pastori & Diæceseos Lipsi-
ensis Superintendenti undiquaque meri-
tissimo, &c.

Lipsiæ die XI. Junii

Autoritate Admodum Rever. Facultatis Theologicæ

in

Utriusque Reipub, Procerum atque Ci-
vium magno consensu
Dictus

à

L. DAVIDE SCHVVERTNERO,

Professore Publ. Collegii Maj. Principum Col-
legiato & p. r. præposito.

In memoria æterna erit JUSTUS.

Pf. CXII, 6.

L I P S I Æ,
Literis VVITTIGAVIANIS.

DECANUS

Facultatis Theologicae in Academia Lipsiensi,

Cum partim propter gratam *ἀνδραγαθίαν*, partim propter exempla, quibus conformari debet posteritas, cis annos triginta & quod adhuc excurrit, Theologis de hac Academia & Ecclesia tota præclare meritis, nominatim

D. VINCENTIO SMUCCIO, D. POLYCARPO LYSERO, D. HEINRICO HOPFNERO, D. JOHANNI HOPFNERO, D. CHRISTIANO LANGIO piæ recordationis omnibus parentales actus fuerint instituti, & inter Ecclesiae lumina, quæ post reformationem à Megalandro LUTHERO susceptam in cælo Ecclesiastico fulserunt, ceu stella primæ magnitudinis JOHANNES HULSEMANNUS Theologus de hac & VVittebergensi Academia, nec non Ecclesia tota meritisimus eminerit, autoritate Facultatis Theologicae in hac Academia Vir Plurimum Reverendus & Excellentissimus Dn. DAVID SCHVVERTNERUS, S.S. Theol. Licentiatus, Prof. Publ. Collegii maj. Princ. Collegiatus & p.t. Præpositus in actu solenni pænegyrico supremum istud honoris officium persolvere voluit. Cujus pietatem & gratitudinem erga Præceptorem ut debitis laudibus deprædicamus: ita DEUM elementissimum, ut residua fulcra, indies magis magisque rarefcentia conservare, nec non deficientibus, hâc præsertim mundi canitie, alia sufficere velit, intimis suspiriis invocamus.



A & Ω.

In nomine

Sacro sanctæ & individuæ Trinitatis

DEI PATRIS, FILII & SPIRITUS

Sancti Amen!



Optandum esset, Rector

Magnifice, cæterique Viri maximè Reverendi, Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Spectabiles, Prudentissimi, Excellentissimi, Clarissimi atque Eximii, Domini Patroni, respectivè Compates, Collegæ atque Fautores multis nominibus devenerandi; Vosque Studiosi nobilissimi, amici dilectissimi!

Optandum inquam esset, ut ex porrectâ magis fronte vestram prodire possem in conspectum? Hoc enim omnibus foret gratius longeque acceptius, siquidem læta audire, quàm tristia auribus experiri gratius esse, vel Naturæ ductu omnes sciunt.

Verùm dabitis pro vestrâ erga piè denatum humanitate etiam tristibus aures, utque in hoc actu pullo triste quidem, pium tamen atque sanctum non tripudiis cantandis, sed naniis dicendis exequar officium permittetis. Luctus verò hujus non est ut causam petatis longius, novistis enim ipsi unctum Domini ante annum mortis laqueis constrictum evanuisse, novistis torius Ecclesiæ Orthodoxæ Antistitem & Ducem hoc ipso die occubuisse, novistis Lumen splendidissimum in Israel extinctum, coronam capitis nostri decidisse novistis: Novistis Theologum quâ pietate, quâ gravitate, quâ dexteritate, quâ sapientiâ, doctrinâ, & constantiâ summam, Johannem Hulsemannum, laboriosissimas & maximè strenuas temporali morti suas

con-

concessisse manus: Periiit eheu, periiit ille, in quo religio, doctrina, eloquentia, Magnificentia & quicquid magnum imò divinum suam quasi efformarant sedem, ille inquam periiit: Parùm ergò abest, quin cum Eliseò Eliam curru & equis igneis in cœlum subvectum vidente, exclamem, Pater mi Pater mi, currus Israel & auriga ejus! adeò nunc omnia bona & merita longius ab eò speranda jaciunt everfa, inversa & averfa. Et utut, quod in maximâ beneficii parte est reputandum, modisque omnibus celebrandum, Deus clementissimus Beato Nostro Successorem tam in officiò Episcopali quàm Professionali perstreuum, quem conspiciamus præsentem Virum maximè Reverendum atque Amplissimum Dominum D. Martinum Geierum Patro- num & Collegam meum devenerandum Ecclesiæ & Academiae benignè concesserit, qui non minori spiritu instructus, bellum cum Rusò Dracone & antiquò serpente felici ut exoptamus atque vovemus successu, sit debellaturus: Attamen amissò hóc Virò id verum esse experti sumus, quod dici consuevit: Tum denique homines sua intelligunt bona, cum quæ in potestate habuerunt, amiserunt. Amisit salignè, vel ut pie magis loquar, præmisit ex hac miseriarum valle ad æternæ, vel ut pie magis loquar, præmisit ex hac miseriarum valle ad æterna cœlorum gaudia, nostra Ecclesiæ imò tota Respub. Christiana Pastorem vigilantissimum & Superintendentem famigeratissimum: Amisit admodùm Rever: Collegium Theologicum Antistitem gravissimum, Assertorem fidei perstreuum, amisit Academia Doctorem & Professorem incomparabilem, amisit hæc Cathedra disputatorem solertissimum & ingeniosissimum, amisit tota civitas omnium virtutum illustre Theatrum, Viris Principibus gratisimum, Collegis acceptissimum omnibus denique bonis charissimum: Et quod Caput rei est, amisit doctrinæ cœlestis veritas custodem, vindicem & propugnato- rem longè acerrimum; Quò amissò Adversarii sibi gratulantur, & nobis in domesticâ calamitate ferociter insultant: Talem ac tantum Virum, Doctorem, Pastorem atque Collegam amisimus. Mirum ergo esse non debet, si factâ hujus cladis recordatione multorum animi adhuc in squalore versentur, qui militantis Ecclesiæ statum tantis periculosum penitus introspiciunt observantque, quòd, missis jam manifestis veritatis hostibus, Clanculari se prodant in ipsò quasi sinu nostro, variæque vigeant hereses, graves dissensiones, tristes ani-

hug

A 3

morum



morsum exacerbationes, & Machiavellica consilia, quibus musteum
istud crama in unum lebetem, monstrum volo syncretisticum in Ec-
clesiam invehere meditantur atque minantur, cujus jugulum Malleus
Hic, uti omnium Hæreticorum ita quoque Syncretistarum adeò fre-
gerat & contuderat, ut planè videretur inversum & extinctum. ;
Et quis etiam à *συντάξια* temperet, si tot ingenii dotes, tam mul-
ta & præclara Naturæ dona, tantas virtutes, unò die, unâ horâ, imò
momento uno concidisse videat? Ferreos omninò & ad omnem Na-
turæ sensum obduratos esse oportet omnes eos, quos tam nocivus o-
bitus tantique Viri jactura non moveat? non impellat? ut,
si non in lacrymas ipsas, in gemitus tamen eant & se effundant.
Fateor equidem & lubens fateor, communem esse hanc sortem, o-
mnibusque qui fragilitate corporum non sunt exuti subeundam, ut
quam à Deo vitam impetrarunt concessam, eam confectò vivendi cur-
riculò vicissim deponere necessum habeant, neque alia conditione ac
lege in orbem hunc nati sunt, quàm uti more stellarum quarundam
in cœlò occidentium, quarundam verò insurgentium, in hominum
ortu & occasu perpetuas quasi conspiciant vicissitudines; Sed
quemadmodum si ignobiliore stellæ occultantur, haud multum
tristamur, quod si autem splendidissimum solis jubar, cujus radiis in
hæc inferiora sparsis quasi reviviscimus, è conspectu sese aufert no-
strò, non sine magnâ tristitiâ & consternatione stamus atque jace-
mus. Sic privatorum & è face vulgi natorum morte minus com-
moveri animos, eorum autem obitu, qui de Ecclesiâ & Republ. benè
fuerunt meriti, haud parum conturbari omnes videmus: Nec qui-
dem immerito, ut enim arbor non cadit, quin frutices, herbæ, ac flo-
res quos vel umbra refrigerabat, vel radicis fibræ alebant, simul inte-
ritum patientur: Sic neque benè merentes sine multorum in
Ecclesiâ & Republ. degentium damnò moriuntur & extinguun-
tur.

Hinc non sine rei veritate, & longâ exemplorum experienciâ
graviter quondam Ambrosius malorum imminentium ac futuræ
labis primum esse dixit indicium, si Viri de Republ. & Ecclesiâ benè
meriti decedant: Quid enim tales aliud nisi Ecclesiæ Patres,
Reipub. gubernatores, periculorum propulsatores, & uno verbo po-
puli

puli, nutritii ac conservatores? Quis autem ignorat, parente
per mortem extincto, salutem liberorum graviter periclitari?
Quis non videt vulnerato capite reliqua corporis membra langve-
scere? Quem latet Clypeis remotis imbellem reddi civitatem?
Quis nescit columnis everfis ruere & corruere aedes? Infans si
nutrice suâ privetur, vires omninò suas amittat necesse est, tolle pa-
storem & grex dissipabitur, remove gubernatorem & navicula hor-
rendis fluctibus facilè jactabitur, imò iisdem mox absorbebitur.
Quòd si in his verum, uti verum, omninò ex obitu tanti Viri nihil ali-
ud nisi damnum est expectandum. Quare si olim Metellus Mace-
donicus perceptâ Scipionis Æmiliani morte, non potuit, quin extin-
ctâ omni similitate, quæ sibi cum eò adhuc vivente intercesserat, tri-
stissimò vultu in forum prodiret, atque miserè exclamaret: Con-
currite Cives, moenia nostra conciderunt: Videbat namque Vir
prudentissimus extincto Metellò firmum Reipubl. Columnen fuisse
sublatum, sentiebat jacturâ tanti Præsidis vulnera civitati inflicta:
Si inquam tantus inimici erga inimicum affectus? quis iniquum
statuet, si Consanguineorum, si Amicorum, si Collegarum, si Auditorum
oculi, tanti Patroni, tanti Pastoris, tanti Præceptoris & Doctoris ja-
turam denuò mecum deplorent? Quare ut boni amissi dignitatem
melius cognoscamus intimiusque perpendamus, agedum de rebus
præclarissimè gestis & virtutibus quibus claruit Noster Hulfemannus
in præsentiarum differemus. Optarem autem mihi Hulfemannia-
nam dicendi peritiam & facundiam ad Hulfemanni laudes dignè de-
prædicandas: Optarem voluntati meæ parem adesse facultatem,
quâ divinam Beati Nostri mentem, miram ingenii felicitatem & ju-
dicii acrimoniam, promptam memoriam, & incredibilem elo-
quentiam tanquam penicillò eximii pictoris omnium oculis expone-
re possem, ut effigies exquisitâ artificii elegantiam virtutisq; vividò colo-
re quosvis ad amorem & æmulationem provocaret. Sed quò arden-
tius votum est, hoc longius ab optatis vires meas abesse sentio:
Nec tamen cedere animus est, quod de vobis Auditores omnium or-
dinum eminentissimi honoretissimique sum persuasus, quæ de bea-
tò Hulfemannò attulero, vel hòc nomine quòd Hulfemannum vo-
bis sistent, licet, nullâ arte elaborata, nullisque pigmentis fuerint co-
lorata,

lorata, auribus fore acceptissima. Quanti enim eum quamdiu in
conspetu & ad latera habuistis, feceritis, vestra testatur conscientia,
vestraque quâ ipsum in vitâ beatis amicitia: Agite itaque Audito-
res, & ne spes quæ alacritatem dicendi attulit, me deservisse videat-
ur, vestrâ audiendi attentione & humanitate efficite. Tu verò
Memoria, tu Fama & Houor præsto estote, & quæ dedicatum eo, in
templo vestro erecta & ab oblivionis carie incorrupta servate, gesta
Hulsemanni Nostri Cupresso huic incidam, laudes maclabo & quan-
tum possum ævo consecrabo, *ni mo murey du am ruy id ni ubou*
Sequar autem in laudum & meritorum recensione naturæ du-
ctus, & qualem inde à puerò usque ad extremum vitæ halitum se præ-
stiterit ostendam, initio à natalibus & parentibus factò: Utur-
enim virtute propriâ niti oporteat, non proavis aut genere, si-
quidem parum prodest, clarò censeris sanguine, vel ad Æacidas re-
ferre originem, si ipse sis Therites: Est tamen majorum gloria
lumen posteris & plerumque bonis creantur boni & fortes fortibus,
& in liberis sæpe Patrum Virtus reperitur, quam si doctrina & recta
adjuverit educatio, multum omninò imò maximè ea promovetur.
Traxit autem vitam & Spiritum Beatus noster non solum è paternâ
stirpe æquè ac maternâ honoratissimâ, sed etiam virtutum semina
præclarissimarum à parentibus simul ipsò cum sanguine hausit:
Natus enim Esenæ Frisorum annò currentis seculi secundò die vi-
gesimò sextò Decembris, Patrem habuit Virum admodum Reveren-
dum atque Excellentissimum Dn. Heinricum Hulsemannum Osnæ-
burgensem Westphalum, Pastorem Esensem & Baronatus Esensis
& Wittemundensis Superintendentem meritissimum: Matrem
autem Fœminarum decus luculentissimum, Annam Bohliam Do-
mini Bohlii Høgen à Belden Consulis Auricensis ex antiquâ pro-
sapiâ Filiam: Quæ felicissima Mater exoptatissimò partu hunc
Filium Patri maximum gaudium & hæredem svavissimum dedit:
Et Sacro sancti baptismatis aquâ tinctum nomine Johannis ipsum
beavit, spes enim ipsi erat certissima, fore ut Filius hic natus eum-
quem referebat nomine, animò quoque adultior factus esset rela-
turus, & quidem non immeritò, siquidem talibus parentibus nasci
non poterat filius degener, neque tantis genitoribus virtutum negli-
gens,

gens, unde non modo parentes, sed alios quos necessitudine attingebat erexit, ut nemo inter tam multos esset, qui non ad arduum virtutis atque authoritatis culmen ascensurum familiamque suam illustribus suis futuris factis illustriorem redditurum ipsum existimaret. Ex ejus enim ingenuo vultu elucescebant, quæ in generoso infante quis spectare posset summò cum gaudiò, ut honore dignus judicaretur maximò, cum gestu potius quàm voce indigaret qualis futurus esset. Hinc ut rectè educaretur, Parentes summâ sollicitudine ad sapientiam & virtutem ipsum à teneris duci voluerunt, existimabant enim maximam felicitatis futuræ partem, ipsamque adeò beatitatis arcem in bonâ educatione esse sitam, & quidem rectissimè; Nisi enim recta informatio liberos in hoc mundi stadium ingredientiò excipiat, & dexterâ quasi suâ cursum moderetur omnem, idem plerumque usu venire solet, quod in equis, quorum qui generosæ sunt indolis, si primis negligantur annis, efferati, indomiti atque calcitrosi evadunt. Vix ergò cunis major redditus Noster Beatus, literis & Musarum Cultui Parentes ipsum consecrarunt, unde pietatis & literarum elementis imbuendum in Patriâ Scholæ publicæ præceptoribus non solum ipsum tradiderunt, sed etiam publicæ informationi privati Præceptoris operas addiderunt, qui felicissimis auspiciis puerum hunc sibi demandatum tam officii fideliter commonefecerunt, quàm in officiò eundem confirmarunt, ostendentes quanta in expectatione tum parentum tum aliorum esset; Quâ fideli suâ admonitione tantam quoque in eo ad studia excitarunt alacritatem, ut primis statim suæ infantiaë annis quosdam æqualium condiscipulorum relinquendo, nonnullos autem sequendo præclaram comparandæ eruditionis opinionem de se præceptoribus concitarit. Jactis ergò intra breve tempus primis pietatis & latinæ linguæ lineamentis, duodecennis ad officinam Pastoris Nordensis Domini M. Hermanni Mesandri fuit deductus, qui pro scientiâ suâ cœptum opus pulchris illustravit coloribus & perpolivit: Ubi post unius anni decursum in Scholam Stadensem à parentibus missus, fidelissimâ informatione Domini M. Nicolai Krugeri potuit frui,

frui, cujus dexterrimâ institutione eam quoque latinæ linguæ cognitionem sibi comparavit, ut post triennium isthinc discedens testimoniô instrueretur publicô, quòd in latinâ linguâ prosâ & ligatâ oratione congruè scriberet & loqueretur. Unde ad capeffendos in literis Majores profectus anno currentis seculi XIIIXvo in Scholam Hannoveranam concessit, trivialibus felicem coronidem impositurus: Ubi etiam Deo benedicente in linguis & artibus tantum profecit, ut non modò frequentissima linguæ latinæ & græcæ solutò ligatòque sermonis genere ederet specimina, sed etiam cum sympalæstritis suis in arenam non sine triumphò descenderet scholasticam, quò pacto apud omnes præclarissimam de se expectationem concitavit, in primis autem præceptorum suorum in se convertit oculos, qui ut laudatissimos generosi pectoris conatus foverent, & currentis juvenent alacritatem, domum abeuntem systaticis, quod paucissimos sui similes post se reliquisset muniverunt, utque ad altiora capeffenda mitteretur, suasores Venerando Domino Parenti fuerunt: Quorum judicium cum domi à Præcipuis factâ ejusdem eruditionis exploratione approbaretur Viris, anno currentis seculi vigesimò, ætatis autem suæ decimò octavò, variò literarum ac humaniorum artium præsidio armatus, in ampliorem Florentissimi Roseti Megapolitanorum campum descendit, quem dicta Academia instar Matris benignæ jucundè est amplexa, maximè ea de causâ, quòd eum ob fundamenta eruditionis in trivialibus solidè jacta & flagrantem quam secum afferret *Φιλομ' Ήραν*, amore suo dignum deprehenderet. Non enim more modernorum hominum, qui sæpè temerè & irreverenter ad Academias irrumpunt, Beatus noster Rosetum suum salutabat. Sed summò discendi ardore concitatus artium hanc mercaturam est ingressus: Unde quoque primis statim Academicæ vitæ annis non pigritiæ, impatientiæ, otio, luxuriæ & helluationibus litavit, sed his fortiter neglectis & rejectis capillatam discendi arripuit occasionem, & quod in patria, aliisque Scholis consueverat, ut firma artium & linguarum locaret fundamenta, id in Academia quoque præstitit, & auditis celebriorum Professorum

Do-

Domini M. Jacobi Freygeri, Domini M. Jacobi Engelbrechtii,
Domini M. Heinrichi Vulpii prælectionibus Logicis, Physicis,
Mathematicis, & Ethicis suam in studiò Philosophicò confir-
mavit cognitionem & scientiam: Volebat enim non in
obscuris quorumvis profitentium angulis, vel ex imperfectis &
turbidum fluctibus compendiorum, dispendiorum verius dixe-
rim lacunis, sed à publicis præceptoribus & ex ipsis limpidissi-
mis fontibus, hoc est ex iobriis illis & antiquissimæ notæ Magi-
stris Philosophiæ disciplinas haurire, & quidem eo majori curâ
quò metæ studiorum, quam S. S. Theologiam divinò instinctu
sibi jam tum constituerat, subinde factus est vicinior, unde etiam
juxta cum studiò Philosophicò prælectionibus sacris percipiendis
Domini D. Johanni Affelmanni S. S. Theol. Profess. Publici per
biennium sedulus & indivulsus adhæsit.

Bienniò ergò exactò de consiliò Domini sui Parentis cele-
berrimam Academiam Leucoream præcipiti annò seculi vige-
simo secundo adiit, mensâ & hospitio primùm Domini D. Wolf-
gangi Schalleri Medici & Prof: Publici, postea Domini M.
Christiani Gveinzii Collegii Philosophici tum temporis Adjun-
cti, tandemque Theologi per universam Ecclesiam decantatissi-
mi Domini D. Balduini exceptus, ubi sanè in Magnos Theolo-
giæ Doctores & Professores, prædictum scilicet Dominum Fride-
ricum Balduinum, Dominum Balthasarum Meisnerum, Domi-
num Jacobum Martini singulari Dei Providentiâ incidit, qui
ipsum etiam non ad pedes tantùm suos lubentes admiserunt,
sed prorsus in sinum benevolentissimum receperunt: quam
exoptatissimam discendi commoditatem Beatus noster insuper
habere noluit, sed uti in id totâ mente superioribus annis incu-
buerat, ut ad latera semper esset Magistrorum, & ab eorum pen-
deret ore; Sic longe majori assiduitate tunc sibi faciendum
statuebat, cum ipsam omnium scientiarum Reginam colere de-
liberatum in animò haberet, quâ ut nulla est sanctior atque no-
biliores, sic etiam nulla in quâ citius majorique cum discrimine
errari possit, invenitur. Audivit itaque summos, quibus se
addixerat Viros, neque semel atque iterum, sed quotidie & con-
stanter:

stanter : Et quæ publicè ex ore docentium hausit, mox cõ-
mum reversus intra privatos Musei parietes vel solus vel cum
suis commilitonibus ruminavit, ut ad usum tempore & locò suò
transferret.

Codicem prætereà sacrum assidua volutione sibi quàm
familiarissimum reddidit, & quod Regius Propheta David
summâ in beatitudine reponit, in lege Domini voluptatem u-
nicè collocatam habuit suam : Hinc non variarum versio-
num rivulis contentus, ad fontes descendit ipsos, & linguas
eas quibus Numen cœleste mysteria sua Prophetis & Apostolis
inspirare olim voluit, addidit : Sic enim fas erat animum
ad Theologiæ studium afferre instructum, siquidem ad interiora
Theologiæ sacraria aditus nemini patet, nisi per linguarum ve-
stibulum : Has ergò tam dextrè callebat ut sententias etiam
prolixissimas sive Græcas sive Hebraicas promptâ recensere me-
moriâ ipsi fuerit facillimum, teste hâc in quâ docuit Scholasticâ
cum Ecclesiasticâ Cathedrâ.

Et ut maturè quoque ad certamen cum apertis veritatis ho-
stibus ineundum sese præpararet, sæpissimè non modò in Philo-
sophicis, Moderatoribus Domino M. Abrahamo Heinricho
Professore Logices publico, & Domino M. Johanne Scharffio
Collegii Philosophici id temporis Adjuncto, sed etiam in Theo-
logicis, voluntate & moderamine prædictorum Gravisimorum
Theologorum Domini D. Jacobi Martini, Domini D. Balthasa-
ris Meisneri, præprimis autem Domini D. Friderici Balduini,
quem ut alterum venerabatur Parentem, disputationum publica-
rum & privatarum velitationibus frequentissimè interfuit iis-
que se exercuit : Et ut suæ Eruditionis Theologicæ hînc ac-
quisitæ præclarum quoque ederet specimen, disputationem quo-
que solennem, quæ silentiò prætereunda hic non est, à se ipsò
elaboratam de dogmatibus ad salutem creditu necessariis mode-
ramine laudati Domini Hospitis sui Balduini tanto lectorum &
auditorum adplausu publicè proposuit, ut brevi temporis spatiò
non procul à coronide studii sacri ipsum abfuturum omnes fer-
mè sapientes judicarent. Ut autem Beato nostro animus fue-
rit

fit diutius in tam celebri divinæ sapientiæ emporiò commorari,
& pretiosas eruditionis sacræ merces ad satietatem sibi compa-
rare: Quia tamen Deò sic volente hospes prædictus Domi-
nus D. Balduinus lectulo emortuali tenebatur, consultum sibi
fore judicabat, si nostram quoque accederet Academiam Lipsi-
ensem, inque ea Decus Theologorum incomparabile Dnm. D.
Heinricum Hopfnerum Professore Theologiæ Publicum salu-
taret: Anno ergo seculi vigesimo septimo hæc sacraria bonò
cum Deò ingressus, telam studii sacri cœptam strenuè pertexuit,
& prædicto Theologo tam privatim quàm publicè profidenti dex-
teritatem raram & inusitatam discendi industriam probavit su-
am, præprimis eò tempore ubi publicam disputationem ejusdem
moderamine de fidei ad justitiam imputatione contra Pontificios,
Socinianos, & Remonstrantes habuit, quam defendendo, cum
officii sui præclarissimè omnium applausu sategisset, tantopere
apud Lipsienses inclaruit Theologos, ut ipsi aperire Collegia Theo-
logica potestas concederetur: Quà commoditate sic impetratâ
materiam exercendæ suæ dexteritatis, fidei, industriæ Eruditionis-
que Theologiæ ut & laborum tolerantia adeptus, nihil eorum in-
termisit, quæ ad exornandam suam facerent Spartam, unde factum
quoque, ut Provinciâ sic laudabiliter administratâ, Aulæ Serenissi-
mæ, inque eâ potissimum Theologo summo Dno. D. Matthiæ Hoë
ab Hoheneck Serenissimo Electori Saxonix à Consiliis Ecclesiasti-
cis, Confessionibus & Concionibus aulicis primariis, innotuerit,
quod postea promotionem ipsius non parum adjuvit.

Sed tempus erat, ut confirmatò & benè subactò judiciò peregrin-
nas quoque inviseret terras: Hinc quamvis Lipsiæ Beatus noster eò
tempore ut stella matutina Musis gratisima ingenii sui & erudi-
tionis radios spargere potuisset, attamen amore regiones & Aca-
demias exteras videndi, primum in Belgium, postea in Gallias ex-
currit, Hyberna Parisiis figens, quas regiones invisere sibi consti-
tuerat non modò ut videret turrets & portas civitatum, pontes
& montes more nostrorum peregrinatorum notaret, sed ut visa &
notata animò reponderet & in usum depromeret suum, aliàs enim
inconsultus vanusque fuisset hic discursus, qualis formicis per ar-
busta

busta repentibus, quæ in summum Cacumen deinde in imum inanes agantur: Id quod Beato nostro facere piaculum fuit, sed eò potius operam dedit, ut opes doctrinæ morumque in nostris Academiis partas, novis apud exteros augetet accessionibus: Hinc cum Viris quoque summis in primis Theologis non modò conversatus eorumque virtutes est imitatus, sed etiam linguas exoticas Gallicam & Belgicã sibi fecit notissimas, quarũ beneficiò magnam quoque apud magnos sibi conciliavit gratiam, ut ipsum non in familiarissimum tantum admitterent colloquiũ, sed etiam de eo secũ retinendo inque aliquam suarum civitatum cooptando quasi certarent. Verũ non exoticis, sed nostris Academiis se inserviturum Beatus noster quasi præfagebat, hinc præclarã etiam nominis sui existimatione post se relictã, vere novo anni sequentis vigesimi octavi per mare Hamburgum vectus, Musas Lipsienses resalutavit, non quidem animo pro tunc apud eas commorandi, siquidem brevi post amore magnorum Theologorum Marpurgensium, in primis Dni. D. Balthasaris Menzeri, (qui tamen paulo ante adventum humanæ valedixerat vitæ) & Justi Feuerbornii Marpurgum concessit, ubi hospitio & mensã Dni. D. Menonis Hannekenii id temporis Theol. & Hebr. linguæ Prof. jam Superintendentis Lubecensis nominatissimi exceptus, tam frequenter in auditoriis lectorio-disputatoriis & Cathedris conspiciendum & audiendum se præbuit, ut prædicti Dni. Theologi ejus industriã & docendi dexteritate permoti, potestatem in Theologiã informandi juventutem eidem fecerint liberrimam: Quã occasione iterum impetratã, egregia suæ eruditionis dona omnibus non modò Marpurgi degentibus probavit, & existimationem de se conceptam fecerit auctiorem, sed etiam Patriæ suæ aliisque Belgi locis adeò innotuit, ut Illustris & Generosissimus Dominus Comes in Frisiã orientali celebritate eruditionis & famæ suæ motus, ipsum Licentiã Theologicã jussit condecorari, quem Clementiæ planè inusitata affectum nec potuit nec debuit parvi facere novus hic Theologiæ Candidatus, sed præstitis præstandis habitãque disputatione solenni de Ecclesiã sub moderamine Dni. D. Steuberi Prof. Publ. coronam hanc omnium Theologorum Marpurgensium suffragiò promeritam tenuit acceptam: Quã nominis dignitate novus hic Theologus auctus, paulò post

post ad suscipiendum Pastoratū à Nordensibus legitimè fuit invitatus, quem tamen suis ductus rationibus recusavit: Et postquam ipsum desideria suos amicos Lipsiæ relictos videndi revocabant, Marpurgò bono cum Deo discessit, & Academiis Germaniæ superioris perlustratis, circa nundinas Numburgenses Lipsiam repetiit, hospitio Dni sui pristini Patroni D. Hopfneri supra laudati non sine magnò gaudiò exceptus. Ubi vicissim talenta sua sibi divinitus largà manu concessa in fœnore collocavit, redintegrandò scil. Collegia Theologica lectorio, disputatoria per iter suum quadantenus interrupta; Ad quorum usum percipiendum cum studiosi undique confluerent, ipsorum desiderio discendi excitatus, omnem movit Beatus noster lapidem, ut singuli auditorum suam in docendo experirentur fidem, & ex habitis exercitiis fructum referrent haud contemnendum.

Et sic vidimus Auditores Beatum nostrum Hulsemannum in pueritiâ juventute & adolescentiâ extra publica officia constitutum, vidimus ipsum in scholis & auditoriorum Cathedris, ad Professorum & Doctorum latera, ubiq; fidelissimum, dexterrimum & summè industrium vidimus: Super est, ut eundem in virili & senili ætate, inque officiis publicis constitutum paucis videamus. Dum enim ita omnia sunt gesta, & magnam in illustrissimâ Aulâ Saxonica ipsi pepererunt gratiam, præter expectationem accidit, ut Deo sic volente Theologus de Ecclesiâ Lutheranâ meritissimus Dnus. D. Wolfgangus Franzius fatis Wittebergæ concefferit humanis: Hinc Academia illa quam Deus clementissimus olim Beato nostro benignam dederat studiorum suorum nutricem, ex cujus uberibus sacrarum literarum quoque scientiam cum magnò doctrinæ incremento, & animi voluptate suxerat, dignum ipsum iudicavit, qui Serenissimo Saxonie Electori factâ reliquorum Theologorum ascensione, in locum quartum sufficiens commendaretur. Quorū denominationi cum ultrò Serenissimo Academię Nutritius atq; Patronus annueret, professionem unà cum Alumnorum inspectione à Serenissimo clementissimè concessam eidem obtulerunt. Quam etiam præmissâ solenni Vocatione subjectissimò studio in se suscepit, & ad Urbem sibi semper adamatam lætò animò rediit, honorificentissimè ab Academia, Ecclesiâ, totòq; Literatorum ordine exceptus.

Quibus sic præmissis & peractis, paulò post iubentib; sic statutis à Magnò Roberto Prof. Publicò & Theologò de Ecclesiâ Lutheranâ meritissimò

simò

atissimò, communi *χρηγορία* Doctor quoq; fuit renunciatus, insimulq;
ut honor esset splendidior, præsentibus Serenissimi Saxoniae Electoris,
Illustrissimæque Viduae Anhaltinae Servestanae, ut & Generosissimorum
Comitum à Solms & Frisiae Orientalis legatis, Fœminam florentissi-
mam Sophiam sæpè laudati meritissimi Theologi Dni. D. Balduini re-
lictam viduam consentientibus ab utraque parte consanguineis in Ma-
trimonium acceptam tenuit suavissimum. Quibus honoribus & offi-
ciis sic condecoratus non vacunæ litavit, sed oculum ad metam suæ
demandatæ Spartæ intendens, omni animi contentione in id omnem
dedit operam, ut meditando, legendo, scribendo, disputando, & in-
formando studiosæ juventuti unicè inserviret, & sic tempus omne con-
sumeret: Enthea enim ejus vis & internus Numinis impulsus, quò ad
majora ferebatur, omne tædium ipsi aufererebat, ut in ipsâ laborum as-
siduitate tanquam dulcissimâ quiete divinum pectus mulceret. Quòd
si Auditores de hòc dubitetis assertò? Interrogate quæso Cathedram
Wittebergensem, de quâ summâ fide summâque dexteritate in Proce-
rum & Civium Academicorum confessu & confluxu cum omnibus
quibus libuit non semel atque iterum, sed frequentissimè eruditissima
miscuit colloquia. Interrogate Suggestum Templi Cathedralis, & de
laboribus indefessis quos concionando exhaustit testem invenietis lu-
culentissimum: Interrogate Collegium Alumnorum Electoralium,
& quantum Viri hujus industriâ fuerit adjutum, lubentissimè fatebi-
tur. Interrogate quosvis, qui ex ipsius ore instar sedularum apum, sua-
visimum eruditionis mel suxerunt, & omnes quid fructuum inde ad
se redierit profitebuntur; Imò interrogate Adversarios sive ex Ponti-
ficiorum, sive Calvinianorum, sive Socinianorum, sive Arminiano-
rum, sive Syncretistarum aliorumque quorumvis cohorte, & unò fa-
tebuntur ore conscientia sic convicti, scripta Hulsemanniana non
pauca labefactasse sua: Et si adhuc herbam porrigere recusatis, quæso
evolvatis ipsa Scripta tam Polemica quàm Exegetica in salivam publi-
cam ab eò emissa, & videbitis non modò rarissimam eruditionem
Theologicam, sed etiam labores & certamina Herculeis multò diffici-
liora, multò sanctiora, multoque utiliora: Legite Manuale Augusta-
næ Confessionis contra Jesuitam Hagerum publicatum, legite Tracta-
tum ingeniosissimum de Auxiliis gratiæ contra Papistas, Arminianos,
Calvinianos editum, item Calvinismum irreconciliabilem, ut & Bre-
viarium

viarium Theologicum cum suo Supplemento, & videbitis quàm solidâ per-
spicuitate & perspicuâ soliditate ex verbo Dei desumptâ detestandas Adver-
siorum hæreses nervosissimè refutaverit, ut quantumvis Protei instar in o-
mnes formas sese transmutarint, & adhuc transmurent. novis subinde ma-
chinis, novis armis, novis excogitatis ratiunculis, novis conquistis colori-
bus, figmentis & pigmentis in medium productis, ad unicos tamen hosce
Hulsemanni Tractatus, vel nullò aliò admotò ariete suâ propriâ futilita-
te concidant: Imò consulite Commentarios in Jeremiam & Ezechielem
scriptos nunquam satis de prædicandos, quorù lucem multi anxie expetunt
& exoptant, & videbitis laborem, quò unicò Ecclesiam Dei omnemq; si quâ
futura est posteritatem, ad æternam gratitudinem sibi meritò devicit &
obligavit: Ut silentio involvam paraphrases in Genesim, Psalmos Davidicos,
Epistolam ad Romanos, utramq; ad Corinthios, quas ita methodicè & per-
spicuè proposuit, notisq; elencticis illustravit, ut iterum omne tulisse pun-
ctum cuilibet cordato videatur; Et sanè si omnes privata & publica veli-
tationes cum gente Hæreticâ institutæ? Si lectionum & concionum operæ,
ut & materiæ è mediis Theologiæ penetralibus desumptæ locò disputationū
propositæ essent recensendæ? Non oratio, sed opus Iliade majus mihi esset
vel conscribendum vel recitandum, ut enim cuneus cuneum trudit, sic la-
bor laborem quasi pariebat: Nam ita DEO placuit, cui vires animi plurimas
supra comunem concesserat fortem, eundem quoq; variis exercere labori-
bus, ut quævis dotes suâ ederent vim, & è singulis fertilissimæ arboris ramis
fructus suos publica salus decerperet. Nemo ergò mirari debet, quòd apud
Maximos Minimos tantam sibi conciliaverit gratiam, tantamq; sui admi-
rationem concitarit, ut omnes fermè ejus gaudere voluerint consiliis, si-
quidem hæc de causâ Rectoratus Wittebergensis Academiae tribus vicibus,
Decanatus a Theologico octies consentientibus suffragiis ipsi fuerit com-
missus, quò utròq; officio semper ita est functus, ut in arduis deliberationi-
bus *ἄσυχον* suam, animi moderationem aliasq; virtutes abundè proba-
verit. Quibus sic omnibus feliciter expeditis, aliter fieri non potuit, quia
Serenissimus Saxonie Elector Johannes Georgius hoc nomine Primus, Dni.
noster dum in vivis erat Clementissimus, ipsum ad visitandum conventum
solennem hic Lipsiæ anno trigesimo institutum evocaret, quò de *ὑπολογία*
pupillæ Ordinum Evangelicorum contra Pontificios adornandâ cum de-
putatis sapienter iniret consilia, imò aliis quoque pro bonò publicò insti-
tutis commissionibus sæpè odiosis interesset, quibus tamen summâ dexte-
ritate, magnâ laude atq; admirandâ fide semper præfuit. Sed nondum sa-
tis

tis laborum atq; commissionum: Ecce enim Serenissimus Poloniae Rex U-
ladislaus quartus, Colloquium Theologicum Charitativum, Thorunii ha-
bendum indixerat, ea opinione & voluntate persuasus, fore ut Papistarū,
Calvinianorum & Lutheranorum disidia, ad lydium amicæ collationis la-
pidem explorata componerentur, tandemq; publica pax in negotiō reli-
gionis redintegraretur: Cui mentis bonæ propensione stimulos addiderant
ipsi Papistæ, quorum nonnulli Regi persuadebant, non dissensum realem
sed verbalem Papistis cōm Lutheranis intercedere: Alii verò contrarium
tenentes, colloquium ut omnium convenientissimum medium refutandi
& confutandi religionem Lutheranam urgebant atq; crepabant. His ut satis-
fieret, petebant Proceres Confessionem Augustanā in Regnō Polonię profes-
sā à Sereniss. Saxoniae Electore Theologum Hyperaspistem, qui huic oneri ef-
set ferundo. Hic iterū nemo Wittebergæ fuit, qui non Hulsemannum ido-
neum, dignum & ideo Ecclesiae Lutheranæ cœlesti dono missum esse judi-
caret, & secum tacitè cogitaret, palamque sententiam rogatus Serenissimo
diceret, ut gravissimi muneris functio huic Atlanti tutò imponi posset,
quiq; vel instar Pacificatoris concordiae redintegrandæ si quā esset possibi-
lis, vel etiam instar Herculis cujusdam Christiani tot & tantis domandis
monstris solus sufficeret: Quam Provinciam quoq; jussu & voluntate Se-
renissimi, heroicō in se suscepit animō, & invictissimā illā Spiritus S. clavā,
hoc est verbo Dei fretus, mediis ineundæ pacis sub initium quidem adhibi-
tis, sed frustrā tentatis, adversus istos fumigantes Titiones ut Prophetæ ver-
bis utar, felicissimè tandem pugnavit, detectis, dirutis, & everfis vanissimis
illis technis, fraudibus, imposturis & Sophismatibus, quibus partim glau-
coma incautis objicere, partim caninum lividumq; dentem, doctrinæ Lu-
theranæ infigere conati erant: Quo ipso quoque tempore Calviniani sunt
experti, Spiritū talem inesse Hulsemannō, cui nullo quæsitō colore, licet in-
formas omnes Protei instar sese transmutarent resistere potuerint, sed poti-
us convictos sese confusosq; confiteri necesse habuerint. Sic palma nulli ce-
dit oneri, sed eò fortius assurgit & annititur, quò gravius premitur. Quid
ergo mirum, ut de tam divinō Virō & Urbes & Urbium Patroni ac Præsides
in suam civitatem cooptando, non aliter ac de Athanasio Cæsarienses, An-
tiocheni & Alexandrini decertarint: De Nordenisibus supra audivimus, de
Wittebergenisibus modò diximus, qui cum ad thronum occupandū quem
Dnus, D. Franzius cum cœlesti sede comutarat, invitarunt: Nunc apparent
Patroni Ecclesiae Lutheranæ ex Belgio, qui nostro Hulsemanno inspectio-
nem generalem super Ecclesias Lutheranas committere gestiunt, sed è ve-
stigiō

Stigiō quasi renititur & obluetur Serenissimus Saxoniz Elector, qui. Con-
 fessionariō & Consiliariō suō Dno D. Matthiā Hohen ab Hohenck è vivis
 amissō, Beatum nostrum Hulfemannum inter Aulicos sacerdotes præcipuō
 ponendum duxit locō, atq; prædicti Theologi successorem designavit. Ve-
 rùm Academiis tantus debebatur Theologus, unde parvâ interjectâ morâ,
 ubi rebus quoq; humanis esset exemptus plur. Rever. atq; Ampliss. Dnus.
 Johannes Hopfnerus Superintendens & Prof. Publ. in hâc Academiâ nomi-
 natisimus, instinctu procul dubio divinō, Ecclesia Lipsiensis, cū Academia
 decreverunt vacantem Spartam nostro Hulfemanno esse committendam,
 quod decretum transmissa vocatione ratum quoq; paulō pōst fecerunt, in
 quam divinissimam vocationem Serenissima Aula Saxonica non modo cle-
 mentissimè consensit, sed etiam spe copiosissimi fructūs ad Ecclesiam & A-
 cademiam Lipsiensem inde redundaturi adducta, negotium hoc salutare
 modis adjuvit omnibus & promovit: Cui oblatae Spartæ instar Atlantis Bea-
 ty noster humeros subjiciens, die undecimo Junii, qui postea ipsi fuit emor-
 tualls, Lipsiam se recepit: Vidisses hîc Virum bonum esse commune bonum
 & communibus desideriis expeti, siquidem ut Angelus Domini ab omnibus
 Maximis & Minimis exceptus, indies dignitatibus quàm plurimis, ut audie-
 mus, cumulabatur. Hancce autem Spartam nactus ut faustō bearet initiō,
 tam Ecclesiæ solenni concione quàm Academiæ, inq; eâ potissimū admo-
 dum Reverendæ Facultati Theologicæ publicâ disputatione de Missâ con-
 tra Grotium institutâ se stitit: Quō negotiō laudatissimè sic peractō, in di-
 ctam Facultatem Theologicam magnâ gratulatione assumebatur, & paulō
 pōst consentientibus quatuor nationum suffragiis Canonicus Cizensis eli-
 gebatur: Quō in gradu tamen non substitit, sed elapsō ferè quadrienniō
 post obitum Viri maximè Reverendi, Generosi & Perstrenui Dni. Stephani à
 Friesen, Præpositi Numburgensis & Cizensis &c. Clementissimo indultu Se-
 renissimi Electoris Præpositus Capituli Cizensis fuit salutatus, in simulq; Se-
 nior Numburgensis evasit. Quibus dignitatibus Concilium Nationale an-
 no quinquagesimo tertio Decem. Viratum, anno verò quinquagesimo se-
 ptimo Misenensem Canonicatum adjecit. Sed restare videbantur dignitates
 & officia quasi suprema, Rectoratus scilicet & Decanatus Theologicus, hinc
 Rectoratus duabus vicibus, Decanatus autem sexies ipsius humeris fuit im-
 positus, quibus officiis quasi Colophonis locō munus Episcopale fuit adje-
 ctum: Dum enim Deo rem sic dirigente Vir plurimū Reverendus Amplis-
 simus atque Excellentissimus Dnus. Christianus Langius Pastor & Superin-
 tendens nominatisimus ut & Professor Primarius Meritisimus Spartam
 suam

suam Episcopalem cum coelesti sede commutarat, fieri non potuit, quin Nobilissimus atq; Amplissimus Senatus Oppidanus tantâ dexteritate, fide, eruditione & experienciâ Viri hujus permotus, ipsi officium Episcopale obtulerit, & ut suâ prudentiâ & sapientiâ eidem præset, rogarit: Quod consentiente & approbante Serenissimo Electore Johanne Georgio Secundo, Dno nostro Clementissimo, sibi imponi Beat9 noster est passus, & præmissâ ad mandatum prædicti Serenissimi Electoris per Reverendissimû Nobilissimum atq; Amplissimum Dnum Jacobum Wellerum à Wolsdorff in Rarsdorff Theologum summum, Confiliarium & Confessionarium Aulicum Primarium, in auguratione, ad extremum usq; vitæ halitum duce Deo & comite virtutum id ipsum sustinuit. Quàm attente verò & huic aliisq; officiis sibi demandatis invigilaverit, ut omni nisu vel commodo eorum auget, vel celebritatem amplificaret, fidem testor ipsam & fidei alumnos quos habuit Collegas, Viros omni exceptione majores, omni laude eminentissimos: Ego sanè meô locô vel ejus laboribus à se exantlatis describendis, vel virtutibus & meritis deprædicandis insufficiens sum, sed si quis dicendi facultate instructus, divini hujus Viri labores, merita & virtutes dignâ persequi vellet oratione, laudabilius me præstaret officium: Demonstraret non modò generatim quantopere curam erga Academiam, fidem erga Ecclesiam publicis declarare congressibus studuerit, quâ vigilantia & indefessa operâ religionis sinceritatem sit tutatus, quâ circumspectione singula ponderaverit, quâ attentione Doctrinam & mores observaverit, quâ autoritate monuerit, quâ severitate objurgârit, quâ facundiâ & eloquentiâ Auditorum animos flexerit, ut nò inani sonô laquearia remugirent, aut clamor populi suscitaretur, sed aculeus, sed gemitus: Lachrymæ enim Auditorum & ex informatione profecta eruditio laudem tanti Doctoris in cœlû vehebant, Particulatim verò recenseret ejus fortitudinem & summam constantiam, quam ferendis in adversis & laboribus sustinendis semper monstraverit, dum nullis etiam gravissimis non cesserit occupationibus, lucubrationibus & difficultatibus: Testes hâc de re produceret luculentissimos, Commentarium in formulam concordia magnô spiritu ad ædificationem Ecclesie conscriptum, Dialysin Apologeticam nervosissimè contra Calixtum concinnatam, Opus peculiarium Casuum conscientia summô studio adornatum, licet ob intervenientem obitum ad finem non perductû, aliaq; quàm plurima opera & scripta Polemica ingeniosissimè elaborata, quibus incursus Adversariorum tam fortiter tamq; feliciter excepit atq; profligavit, ut ne amplius quippiam hiscere fuerint ausi: Commemoraret ejus Pru-

den-

dentiam & ἀνυστοίαν, quàm candidè & circumspèctè in rebus dubiis omnia
exponderit, quàm eruditè rerum initia ponderaverit, exitus autem inge-
niosè metiri noverit: Proponeret mirificam ejus dexteritatem & summam
in expediendis rebus fidem: Laudaret ejus temperantiam & continentiam,
extolleret benignitatem & magnificentiam, unò verbò, quod magnū, quod
præclarū, quod honorificum, quod ingeniosum, quod laude dignū unquam
in homine fuit repertū, id omne in Hulfemannò quidè prædicaret, ut fas est
liberalissimè, sed ne sibi nec aliis ut opinor satis faceret, quia non particula-
tim sed cumulatim imò cumulatissimè hoc in Virò ista omnia fuère invèta.

Talem ergò nunc publicè habuimus Hulfemannum, talem paucis vidi-
mus in Cathedrâ scholasticâ, talem in Ecclesiasticâ, in commissionibus, in
solennibus Congressibus & Colloquiis, ingenio maximū, doctrinâ præcla-
rissimum, judiciò Excellentissimum, memoriâ & Eloquentiâ admirandum,
industriâ constantissimum, laboribus invictissimū, consiliis prudentissimū,
successibus deniq; felicissimū. Dabitis spero veniam Auditores optimi, si e-
undem in speculâ domesticæ vitæ constitutū paucissimis saltem vobis sistā:
Theologicæ siquidem vitæ deditus, nec œconomicū adspernatus est statū,
sed anno eodem, ubi Professor fuit renunciatus, consilia de ineundò matri-
moniò capessens, fidem conjugalem providente Deò dedit Fæminæ supra
quoq; laudatæ pietate, castitate, prudentiâ aliorūq; virtutum ornamentis
præstantissimæ, Sophiæ Barwasserianæ, sæpe laudati Theologi Balduini reli-
ctæ viduæ, quæ domūs familiæq; instruendæ esset fulcrū, quæ suas domi su-
stineret vices, dum ipse publicis occuparetur negotiis, ad quâ laboribus de-
fatigatus confugeret, in cuj9 suavitate curas deponeret suas, cum quâ, quod
singulare divinæ benedictionis est exemplū, decem quoq; liberorum utri-
usq; sexus Parens est factus: Ecce *Κυαμία* & *Βτεκνία* singularem: Cujus
Βτεκνίας felicitas inde quoq; maximè elucet, quòd filias quatuor natu ma-
jores ipsè adhuc vivens non sine magnò gaudiò elocaverit, Viris non de fœ-
ce vulgi, sed sumis, Magnifico, Nobilissimis, Maximè Reverendis Consultis-
simo, Amplissimis, atq; Excellentissimis Dno Abrahamo Calovio S.S. Th. D.
& Prof. in Acad. witt. Primario longè celeberr., Consist. Elect. Assess. Gravis-
simo, ejusdem loci Pastori vigilantissimo & Electoralis circuli Superint. Ge-
nerali, Lumini Ecclesiæ magno, cujus scissuram domesticam nuperrimè
passam meritò dolemus, Deum venerati, ut ipsum fatali hoc vulnere pro-
stratum efficacissimò erigere dignetur solatiò: Item Dno Johanni Martino
Luthero in *Hoburg* / Serenissimi Saxoniae Electoris in Præsulatu Misnen-
si Consiliario, Canonico Misnensi, Cizensi, & Wurzenfi, splendi-
dissimo:



disfimo: Item Dno Jacobo Claudero S.S. Theologiæ Doctori nominatissimo & Diœceseos Deliciensis Superintendenti meritissimo; Item Dno Christiano Bilefeldo S.S. Th. Doctori celeberrimo, Superintendenti Wernigerodensi & Consistorii in Comitatu Stolbergensi Assessori Gravisfimo. Ex quibus non sine magnâ jucunditate vidit nepotes & neptes numero novem, quibus omnibus divinam cordicîtus apprecamur benedictionem, utque reliqui nati natorum & qui nascentur ab ipsis sint benedicti Domini, inprimis filia adhuc duæ superstites venustissimæ & virtuosissimæ pro suis honestissimis votis Viris de Republ. vel Ecclesia meritissimis cedant jugales, filiusque superstes scopum à Dno Parente præfixum felicissimè consequatur animitus vovemus.

Intelligitis Auditores optimi de brevitate me esse sollicitum, meque constringere ea, quæ longè lateque essent amplificanda, sed vestrâ in audiendo patientiâ ne abuti videar, missis his, cum in curriculô vitæ concioni funebri annexo prolixius de iis fuerit actum, Hulsemannum adhuc verbo saltem contemplandum vobis sisto in vitâ & conversatione privatâ, siquidem ut de hâc multa quoque dicam, necesse non est, cum omnes qui ejus experti sunt mores, ipsum in conversationibus jucundissimum, in narrationibus gratiosissimum, in corrigendo maximè peritum fuisse norint: Erant omninò sermones ejus à justitiæ librâ examinati, ut esset gravitas in sensu, pondus in sermone, atque in verbis modus: Condiebantur Viri Colloquia gravissimis sententiis vel ex sacris, vel è Patribus, vel ex historiis, vel Philosophicis, vel ex oratoribus, vel ex Poëtis petitis, quas suavissimâ vicissitudine integras magnâ memoriæ felicitate recitabat: Nihil sanè ipse in medium proferebat, quod non auditorio esset dignum, quod non gratum atque acceptum, nihil ab aliis proferebatur, cui variis modis id ipsum vel illustrando vel confirmando vel poliendo doctrinæ & experientiae suæ copiâ plurimum non conferret? Ut arrectis auribus à totò confessu vel auditoriô avidissimè audiretur. Et quid dicam de ingenuô candore? Quid de mentis sinceritate & constantiâ proferam? Non profectò aliud in linguâ habebat promptum, aliud verò fovebat sub pectore clausum? Nihil simulatè, nihil astutè, nihil dolosè, nihil insidiosè agebat unquam.

Sed ad portum tandem & ultimum vitæ Hulsemannianæ actum venimus: Ejus quidè ætatis adhuc erat, quæ multis credebatur laboribus sufficere, & sperabatur à morte abesse longi9, attamen ut divinus ille luctator Jacobus admonendo vincendoq; peregrinationi suæ finè faciebat: Et uti Megalan-

der

der Lutherus componendis ad quæ vocabatur negotiis intentus, mortem sibi acciebat; Sic Palæstrita noster stans in acie, & cursum quem supremus Agonetha absolvendum ipsi præscripserat, strenuè pergens, concatenatis laboribus & lucubrationibus vires sui corporis maximè frangebatur, ita ut indies pejus habere inciperet, variosque mortis prodromos observaret. Quorum tamen primo impetui non planè succumbebat, sed corpus licet ægrum trahebat, & remisissis utcunque infirmitatibus, Academicis & Ecclesiasticis vacabat laboribus, ne locò suò deesse videretur voluisse. Uti enim ab initiò suæ functionis nihil magis in votis atque optatis habuit, quàm ut docendo & scribendo puritatem doctrinæ cœlestis longè lateque propagaret, sic quoque in fine nihil sibi optatius duxit & gloriosius, quàm ut fidelissimus Mysteriorum Dei dispensator doctrinam veritatis sanctam tectamque conservaret. Ipsi vidistis Auditores, quàm sæpè pedum officium luctum amplius facere detrectantium infirmitatem lachrymis fuerit contestatus? quantoperè & sibi & nobis doluerit? Quod sensibus de cæterò sic satis integris, *μολογία* saltem præpeditus, ex suggestu sacrò audiri amplius non posset. Mens enim stabat integra, & stante quasi pede ultimam vitæ expectabat horam: Verùm cum mali vis indies invalesceret, etiam frustra omni medicinâ adhibitâ, & jam sentiret cunctis viribus se reddi vacuum, Eja dicebat cum Prudentiò, Eia valetudo, cedo, trado lampadem: Instat terminus, & diem Vicinum Senio jam Deus applicat. Deum esse sequendum, meos fidelissimè docui, Deum ipse nunc lubentissimè sequar, certus quòd merces nostra copiosa sit futura in cœlis; Cupio ergo dissolvi & esse cum Jesu meò: Hos & similes instituebat sermones de suâ ad Deum migratione, & magnâ cum devotione peractâ Corporis & Sanguinis Christi Salvatoris cibatione & potatione, nihil aliud quam cœlum spirabat & sperabat, unde assiduis suspiriis animæ liberationem expetebat & expectabat, ingeminando suum *CUPIO DISSOLVI*, quod sæpè lectulo assidentes ex ejus ore (ut ut præpeditâ linguâ) pronunciarum audiebamus: Et admonitus de retinendo Jesu in corde suo, Hunc non dimitto aiebat. Imò ultimo vitæ suæ die, cum honoratissimus Genet. Vir supra laudatus Dominus D. Calovius ipsum accesserit & inter alios de beato ex hâc vitâ discessu sermones cum ipso institutos, etiam ex eo quæsierit, num Confessionis suæ & doctrinæ tam vivâ voce, quàm scriptis propugnatae ad tribunal JESU Christi intrepidè rationem esset redditurus? Clara voce adhuc, *ITA*, respondisse fertur: Ubi paulò post intercedente magis magisque Spiritu, inter preces & ardentissima ad Deum suspiria tandem voti sui compos est factus

factus circa nonam vespertinam, quæ beatissima huic Heroi fuit horula, quâ cum Divo Paulo ritè omnibus defunctis militiæ suæ Stipendiis, consummatò cursu, decernatò bonò certamine fideque servatâ, animam suam ærumnarum atque vanitatum pertæsam, animam suspiriis assiduis liberationem expetentem & Christum Salvatorem cernentem, placidè Deo Patri, Filio, & Spiritui S., suo Creatori, Redemptori, & Sanctificatori reddidit, post exactos in hâc ærumnosâ vitâ ætatis annos quinquaginta & octo cum triginta septimanis & duobus diebus.

Ità fulgentissimum sidus nobis occidit, itæ Ecclesiæ & Academiae, imò totius orbis Christiani Ocellus oculos clausit suos, & quidem eo tempore, ubi salutari ejus operâ & consiliò hoc miserabili rerum statu vel maximè indiguissemus, ubi radiis suæ eruditionis, dexteritatis, autoritatis, fidei & industriæ diutissimè frui in votis habebamus: Hoc tempore Lumen Hoc Magnum nobis occidit, nobis inquam non sibi: Ut ut enim ejus corporis exuviae terræ fuerint demandatæ, anima tamen est in sinu & complexu Redemptoris, in hoc vivit, in hoc exultat, in hoc triumphat, expectans diem illum, quo Deus demortuum corpus conforme est redditurus glorioso corpori Filii sui juxta potentiam, quâ sibi subjicere potest omnia: Cui ut felicitatem hanc totis animis gratulamur, sic te, O misericordissime JESU CHRISTE humiliter invocamus, ut superstites nos inter tot varios Diaboli insultus potenter tueri velis: Respice Ecclesiam tuam, & confunde hostium veritatis furores, dissipantes & consilia quæ volunt bella: Defende inelytam Patriam Germaniam, & in primis illustrissimam Domum Saxoniam: Quin & Academiam hanc totam, inque ea Facultatem Theologicam, unâ cum reliquis Docentibus & discipulis rege, protege, fove: Donec tandem singuli consummatò vitæ cursu ad celestem illam vitam translati, & Hulsemanno nostro imò omnibus Electis associati, Te cum Patre & Spiritu S. trinum & unum DEUM sine fine intueamur, celebremus, & colamus, & quam tuo merito nobis peperisti gloriam, æternùm feliciter perfruamur.

Amen.

F I N I S.

Pom 2b-7787^a
QK

ULB Halle
003 628 876

3



WOM

08.03.01.





A. & J.
Panegyricus

Summo & jam
THEOLO

JOHANNI HUL

S. S. Theol. Doctori & Profe
V Vittebergensi Academiâ per
leberrimo, Canonico Misnensi, &
fito Cizensi: Consistorii Electoralis
Academiæ Decem Viro, Nationis Sa
logicæ Seniori, ad D. Nicolai Pa
ensis Superintendenti ur
tissimo, &

Lipsia die XI.

Autoritate Admodum Rever,

in
Utriusque Reipub, Pro
vium magno
Dictus

L. D'AVIDE SCH

Professore Publ. Collegii M
legiato & p.t.p

In memoria æterna
Pf. CXII

L I P S
Literis VVITTI

